

Berthold.
Leo Osti-
enf. lib. 3.
c. 65.
Baronius.

annum inter Saxones agebat, cum ingenti multitudine armatorum Saxonum occurrit, primoque incurfu obtritum in fugam abjecit. Et haud dubiè Henricus captivus in potestatem Saxonum venisset, nisi Egbertus Saxonum Marchio æmulatione Hermanni Regis per fraudem elabi permisisset. Sexta hæc Henrici clades à Saxonibus accepta. Jam in xx prope annum ab hoc Rege omnibus viribus oppugnata Saxonia; at semper ille victus, quia ex flagitiosa vita Schismaticus, proscriptusque trium Pontificum judicijs, quibuscum Deus pugnavit pro Saxonibus. Quippe Desiderius Pontifex, qui Victoris III nomine subrogatus, statim ab electione, ut Bertholdus refert, pronunciavit anathematis sententiam in Henricum Regem ejusque consortes. Is verò, cum Pontificatu se exueret, ad Cassinum regressus, nec ullis precibus & lacrymis flecti posset, ut resumeret, delectus est altero anno Otto Episcopus Ostiensis, Legatus Sedis Apostolicæ per Saxoniam, assumpto Urbani II nomine, vir religione & doctrina eo sæculo facilè præstantissimus; & is missis ad omnes Orthodoxos literis Henricum ejusque fautores proscriptit. Inde nondum cladium malorumque finis, quæ Regem ultrici poena sunt consecuta. Memorat Gobelinus noster, quo veteri auctore incertum, hoc anno Conradum Henrici Regis filium à Sigewino Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani Regem inunctum.

Annus Christi 1088.

Urbani II Pont. 1.

Henrici IV Reg. 33. Imp. 5.

Henrici I Ep. Pad. 4.

Herman-
nus Rex
regno se
abdicat,
& paulo
post obit.
Berthold.
Dodechin.
Ursberg.
Sigebert.
Albert.
Stad.
Auctor vi-
ta Henrici.
Saxones,
duce
Eckber-
to, rursus
Henri-
cum cæ-
dunt.

Verfabatur adhuc in septimum annum, Christi MLXXXVIII, Hermannus Rex in Saxonia, bellica virtute victorijque clarus; cum æmulatione Eckberti Marchionis, quòd & ipse regnum affectaret, agitari in aliorum invidiam cœpit; compertique Saxones nonnulli animis sensim alienores suæ gentis Regem quàm exterum malle. Quæ postquam animosus Rex didicit, posito ultro Regis titulo, in Lotharingiam redijt ad privatum vitæ genus; nec multum superstes, in Oppidi alicujus oppugnatione, dum muros propius subit, grandi in caput saxo projecto occubuit; quod in ludicra aggressione alij factum volunt, mulieremque fuisse, qui molarem lapidem in caput ejus devolverit. Nemo ea abdicatione regni lætior, quàm Henricus Rex, quem submoto æmulo Saxones quidam proni receperant; quos inter Henricus Marchio de Schaden. At cum Rex cum imperio ferocem pro ingenio dominatum intenderet, & tot Episcopi in periculum schismatis venirent, poenituit mox Saxones; hortatique sunt Eckbertum Marchionem, gentis fidem non desereret, neq; commu-
nitione